



SPICILEGIUM HISTORICUM

Congregationis
SSmi Redemptoris



Annus II 1954
Collegium S. Alfonsi de Urbe



Reverendissimus Pater

RECTOR MAIOR

fasciculo *Spicilegii historici*

qui primus ab inito suo regimine prodit

haec verba pro sua benignitate

praemittere voluit



P R A E F A T I O

Divini Numinis favente providentia, initia muneris quo fungimur ad regendam SS. Redemptoris Congregationem egregie co-honestantur feliciterque exordiis auspicati *Spicilegii historici*: ecce prodit desideratissimus fasciculus primus cui Nobis pergratum ac maxime iucundum est pauca praemittere ad instar praefationis. Gaudet in primis animus Noster eadem iterum exprimere quae aperte manifestavimus in sessione XV Capituli Generalis novissime celebrati, cum mentem ac proposita declarantes solemniter diximus Nobis cordi iugiter fore omnia et singula fideliter prosequi quae a benemerentissimo Praedecessore Nostro Rev.mo P. Buijs optime patrata, at in primis cumulare benevolentia auxiliisque *Institutum historicum*, eiusdem publicationes atque *Spicilegium historicum*.

Neminem etenim latet quanti tribuat ad nostrae Congregationis decus et incrementum notitia rerum a Patribus gestarum, siquidem « ignoti nulla cupido » - Pietas namque erga Patriam, erga Familiam a qua sapientissimus Latinorum unus M. Tullius Cicero omnes virtutes derivabat (1), perbelle manifestatur in assidua cura et continuo studio requirendi quae a Maioribus acta cum « Historia sit magistra vitae, et lux veritatis » (2): patent nitide quasi in speculo virtutes quibus praepediti quasque strenue superaverere, opera quae perfecere, merita ingentia quae adepti sunt. Unde stimulus aptissimus ad imitationem, ad prosequenda exemplandaque quae a Maioribus fiducialiter incepta adnisis in filiorum futuris operibus. Quod procul dubio perficiet hoc *Spicilegium historicum*, cui nascenti vitam exoptamus felicem fortunatamque. Paterno animo complectentes operosos conlaboratores quaeque eis

(1) CICERO, *De Re Publica*, I. VI, Somnium Scipionis, passim.

(2) ID, *De Oratore*, II, 9.

fausta adprecantes omnes vero et singulos Nostri curis subiectos vehementer exhortamur ut, pro viribus summaque benevolentia *Spicilegii* paginas prosequantur nocturna diurnaque versantes manu confratres aliosque certiores facientes, sui laboris et exquisitionis fructus communicantes. Superiores autem monemus ut sedulam tribuant operam pro subscriptionibus ad vitam Periodici alendam et praesertim, quod summopere interest, ut ex cognitione et studio historiae nostrae sanctae Congregationis, crescat amor virtutis et pietas filiorum erga tantam Matrem, qualem historia formosam decoramque aspectu demonstrat.

Accedit quod ex Capituli Generalis voto et voluntate manus sunt quamprimum apponendae ad instaurandas Constitutiones Generales quas oportet ad temporum necessitates accomodare; quantum vero ad rem potest *Institutum historicum* valide apteque contribuere, nemo est qui ignoret; est igitur quam maxime opportunum, dignum ac iustum eidem Instituto ex corde fovere, quod mentes illustrabit ex luce coruscantis historiae nostrae Congregationis, ne mutationes fiant quae radices evellant bis saeculares, sed potius optimas iustasque traditiones instaurando ex vigore arboris vetusti nova promant germina quae fructum dent tempore suo (3).

Haec placuit ex animo manifestare; confidimus in singulorum cooperatione et adiutorio, itaque haec fausta initia laeti salutantes peramanter benedicimus, omnibus qui utcumque Instituto historico et publicationibus de rei nostrae historia operam sedulam dederunt vel daturi sunt.

Romae, in Ascensione Domini, 27 maii 1954.

Giuliano Giandrea O.S.B.
Sup. Gen. et Rect. Maj.

(3) Cfr. *Psalm.* I, 3.

ACTA INTEGRA CAPITULI GENERALIS XV
CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS
ROMAE CELEBRATI ANNO MCMLIV

Excerptum de rebus nostris historicis
N° 1690, p. 33.

Sessio XV. Feria III, 23 Februarii 1954...

Sequitur declaratio Rev.mi Patris Rectoris Maioris quam vult
a Secretario Capituli praelegi et postea Actis inseri :

« Rev.mus Pater Generalis, votis et decretis Capituli Gene-
ralis anni 1947 ex corde obsecundans, propositum suum profite-
tur ut opera a Rev.mo Patre Buijs incopta pro viribus promoveat
et perficiat, praesertim Academiam Alphonsianam, Scholam Spi-
ritualitatis, Institutum Historicum ejusque publicationes, et edi-
tionem criticam Operum Spiritualium S. Alphonsi. Spicilegium
Historicum omnibus ex animo commendat, et Provinciales rogat
ut pro posse fieri velint inscriptiones pro omnibus domibus sua-
rum provinciarum. »